



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Theologōn diaphorōn syngammata palaia kai orthodoxa**

**Gessner, Conrad**

**Tiguri, 1560**

**VD16 G 1810**

De Concilio Neocaesariensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72021)

licam doctrinam statueretur. Præterea in huiusmodi decretis obseruandum est quod Gratianus ex Gregorio refert, regulas sanctorum patrum pro tempore, loco, persona & negotio instante necessitate traditas esse.

## DE ANCYRANO CONCILIO.

**A**ncyrana synodus annis aliquot ante Nicenâ celebrata est, quo tamen anno ignoratur. Interfuit huic synodo ac etiam præfuit Vitalis Antiochenus episcopus, qui ante Nicenâ synodū obiit. Adfuerunt præterea Marcellus Ancyrâus, Amphio Epiphaniensis, Germanus Neapolitanus, Alphius, Apamenus, Narcissus Neroniadis, & alij quidam episcopi qui deinde Niceno quoque concilio interfuerunt. Fuit autem Ancyra Galatiæ metropolis, circa quam Galli Tectosages habitauerunt, hodie ut ferunt Mediacus nominatur. Quidam hoc concilium Anchyritanum alij Anquyranum, sed perperam nominant.

## DE CONCILIO NEOCAESARIENSI.

**N**eoçæsariense concilium etiam ipsum ante Nicenâ celebratum est annus tamen huius concilij æque ut Ancyrani ignoratur. Præfuit huic concilio idem qui & Ancyrano, Vitalis Antiochenus: deinde interfuerunt etiam in hoc concilio Germanus Neapolitanus, Amphion Epiphaniensis, Alphius, Apamenus, Leontius Cæsariensis Cappodociæ, Longinus item Neoçæsariensis, Salaminus Germaniciæ, Narcissus Neroniadis & alij quidam episcopi, qui ante in Ancyrano, & postea quoque in Niceno concilio præsentis fuerunt. Neoçæsaria uero Põti Polemoniæ ciuitas est, in qua olim episcopus fuit Gregorius qui propter miracula quæ fecit Thaumaturgus nominatus est. Fuerunt autem (quantum coniectura assequi possum) duo hæc concilia conuocata non ad excutienda & confirmanda dogmata fidei, sed ad collabentem illis in locis ecclesiæ disciplinam confirmandam & restituendam. Meminit utriusque concilij Gratianus distinctione 16, quo etiam loco 24 canones Neoçæsariæ editos esse scribit, qui numerus uitiatus uidetur, cum nostra ætate in omnibus exemplaribus solum 14 habeantur.

## DE CONCILIO GANGRENSI.

**G**angrensis synodus post Nicenam conuocata est propter Eustachium Sebastiaz Armeniarum episcopum, hic enim coniugium prohibuit, & à carnium cibo abstinendum esse docuit, unde factum est ut multi coniugalem coniunctionem dissoluerent. Et qui communionem in ecclesia uitarent, eis in priuatis edibus ut communicarent, suasis. Seruos, qui Deum colere uel cum prætextu pietatis statuissent, etiam præter dominorum uoluntatem libertate donauit. Et quum ipse singularem sibi & insolitum philosophorum more habitum sumpsit, tum nouas quoque sectatoribus suis uestes dedit. Mulieres ne comâ haberent constituit. Stata ieiunia auersatus, Dominicis diebus potius ieiunandum esse docuit. In coniugum domibus preces fieri prohibuit. Ac si Laicus quisquam coniugium in matrimonio legitimo habens, presbyter lectus esset, eius benedictionem & communionem perinde atque piaculum abominandum deuitare iussit. Hæc ille atque alia hæc similia & docuit & egit, quapropter Gangrensis in Paphlagonia synodus cum exauthoratum, eum institutis suis, anathemate quoque iugulauit. Nicephorus ecclesiasticæ historiæ lib. 9. cap. 45. Socrates lib. 2. cap. 43. Sozomenus lib. 3. cap. 14 refert, Eustachium Armenijs, Paphlagonibus & ijs qui ad Pontum habitant monasticæ uitæ auctorem fuisse, ac leges tulisse de rebus ad hanc pertinentibus, quin etiam nonnullos Asceticum Basilij ab hoc scriptum affirmare. Eumque nimio studio uitæ monasticæ in absurdas has opiniones & traditiones delapsum esse. Nonnullos tamen hos errores non illi sed discipulis eius ascribere.

## DE CONCILIO ANTIOCHENO.

**A**ntiochiæ plures synodi conuocatae fuerunt, Canones tamen hi in quibusdam editionibus Latinis referuntur ad synodum quæ Antiochiæ in ancænijs conuenit. Celebra